

stante auctoritate tot ac tantorum Doctorum, et universali fere praeiudicio Hieronymiana versio ab omnibus tandem recepta est, id aliunde explicari nequit quam ex praecellenti eius merito, quod, pacatis animis, omnium admirationem et adprobationem extorsit. Semel autem recepta Hieronymi versio numquam amplius dimissa est, omnesque latini Patres, Scholastici, Theologi, et universa Ecclesia Occidentalis ea semper usa est, et adhuc utitur. Tot saeculorum usus et consensus ad Vulgatae nostrae fidelitatem et integritatem suadendam maxime valet; quare merito adducitur tamquam praecipuum motivum quo Tridentini PP. ducti sunt ad Vulgatam authenticam declarandam in decreto Sess. IV, de quo mox dicemus.

Hisce addere possumus testimonium heterodoxorum. Sane ut de Hebraeis primum dicamus qui aetate Hieronymi vivebant, eos sanctum Doctorem eiusque versionem probasse et ut *veracem* laudasse testatur Augustinus in loco alias citato (De Civ. Dei XXIII. 43), et idem Hieronymus passim suis adversariis obiicit. Celebriores etiam ex Rabbini sequentium aetatum idem fatentur, ex quibus Rabbi Azarias (lib. III *Meor Enajim*) Hieronymum vocat *אֲזַרְיָהוּ הַתַּיִם* *interpretem Christianorum*, R. Kimchi (in ps. 110) eum appellat *interpretem absolute*: Aben-Ezra (in ps. 3) *interpretem incircumcisorum*: R. Ioseph Albo (in lib. *Fundamentorum sapientem translatores*: Elias levita *doctum Hieronymum*. Ad Protestantes quod attinet, quamvis Lutherus et Calvinus alique veteres reformatores Vulgatam conviciis laceraverint, ob odium scilicet contra Ecclesiam et Concilium Tridentinum in quo probata fuit, aequiores tamen et doctiores ex Protestantibus eam laudant, et in magno pretio habuerunt. Ita Drusius (adnot. ad loca difficilia Pentateuchi) Conc. Trid. laudat quod Vulgatam solemniter probaverit: Ludovicus De Dieu (in notis ad Evang.) scribit: « Me haud erraturum arbitror si Vulgatae auctorem, quicumque ille sit, hominem doctum, imo doctissimum dixerō: » Paulus Fagius Professor Cantabrig. sciotos atque impudentes vocat qui de Vulgata male loquuntur: ipse Theodorus Beza, teste Walton, Vulgatam laudabat: eadem fuit sententia Leibnitii, Hug. Grotii (Praef. adnot. in V. T. et in Voto pro pace Ecclesiae) (1), Casauboni (Not. in Evang. et Actus), Ioannis Boys,

(1) In altero ex citatis locis scribit Grotius: « Tutissima omnium iis qui nec hebraice nec graece didicere est vulgata versio, quae nullum habet male dogma, sicut tot saeculorum et gentium consensus indicavit. »

et aliorum, quos laudatus Walton nominat et suffragio suo confirmat (Prol. X, n. 44). Ex recentioribus autem addere possumus omnes fere criticos et exegetas protestantes, ut Millium, Davidson, Tischendorfium, aliosque qui summis laudibus Vulgatam extollunt.

III. Denique ex collatione Vulgatae nostrae cum originariis textibus, et cum aliis probatis versionibus ostenditur eam fidelem atque optimam esse versionem. De hoc argumento, quemadmodum etiam de solutione obiectionum, quae ex hoc capite allatae sunt contra Vulgatam latinam nonnulla obiter diximus in decursu quaestionis: plura videri possunt apud auctores qui ex professo Vulgatae causam agunt. Ex his consuli possunt Bellarminus, *De verbo Dei* Lib. II cap. XI–XVI, ubi Calvinus praesertim et Kemniti, obiectiones diluit, item Mariana *Dissert. pro editione Vulgatae*, Bianchini (Ioseph) in *Vindictis Canon. Script.* et Kaulen tum in *Historia Vulgatae (Geschichte der Vulgata)* tum in Introductione.

Ex hisce concludimus Vulgatam Latinam V. T. integros atque incorruptos eiusdem V. T. libros exhibere quemadmodum alias etiam de N. T. ostendimus.

Haec iam sufficerent de Vulgata latina. Verum cum Tridentinum Concilium speciali decreto hanc versionem probaverit, et *authenticam* declaraverit, eiusque decretum non paucis quaestionibus sive inter Protestantes sive etiam inter Catholicos occasionem dederit, operae pretium erit aliqua de his addere. Vulgatam autem integram hic spectabimus scilicet utriusque Testamenti, quia ad utrumque laudatum Decretum pertinet. De his igitur sit



THESIS XXIX.

*Vulgata latina Vet. et Novi Testamenti a Conc. Trid. (Sess. IV Decreto de Can. Script.) merito declarata est authentica: eo tamen Decreto Trident. Patres neque usum textuum originalium aut Orientalium versionum ulla ratione interdicerere voluerunt, neque absolutam atque indefinitam Vulgatae authenticam asseruerunt, sed respectivam tantum et substantialem, quatenus nempe prae ceteris Latinis versionibus eadem Vulgata ab omnibus contra fidem ac mores erroribus immunis credenda sit, et in omnibus quoad substantiam originariis Scripturae textibus conformis.*

Ante omnia proferendum est ipsum Tridentinum Decretum (Sess. IV. Decret. de Canon. Script.) latum die 8 Aprilis 1546, quod ita legitur: « Insuper eadem Sacrosancta Synodus considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus latinis editionibus quae circumferuntur sacrorum librorum, quatenam pro authentica habenda sit innotescat, statuit, et declarat ut *haec ipsa vetus et vulgata editio* quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro *authentica* habeatur, et ut nemo illam reicere quovis praetextu audeat vel praesumat » deinde interiecto praecepto de ratione interpretandi Scripturam ad coercenda petulantia ingenia, prosequitur, de vulgata editione hoc modo: « Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia superiorum ecclesiasticorum ipsos Sacrae Scripturae libros, et super illis adnotationes et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito praelo, et quod gravius est, sine nomine auctoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent, decernit et statuit, ut posthac S. Scriptura, potissimum vero *haec ipsa vetus et vulgata editio, quam emendatissime imprimatur*, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris etc.

Praemisso Conc. decreto tres partes theses breviter demonstramus scilicet

I. *Vulgata Latina iure ac merito authentica declarata est.*

*Authenticum* vocatur documentum seu scriptum quod in iudicio fidem facit, nec repudiari potest; iamvero talem esse Latinam Vulgatam ex dictis consequitur. Si enim, ut demonstratum est, versio haec fideliter Scripturas originarias repraesentat, si longo saeculorum usu ab Ecclesia probata est, iam certe inferendum est versionem ipsam non minus ac textum fidem mereri. Praesertim cum Concilium ipsum Tridentinum providerit in ipso decreto superius laudato ut eadem Vulgata *in posterum quam emendatissime imprimeretur*, et huic voto obsequentes Romani Pontifices accuratissimam et diligentissimam eiusdem recognitionem perfecerint, ut alibi narravimus. De hac igitur parte inutile est plura disserere. Ea vero quae Protestantes obicere solent, non excepto Walton, alioquin modesto, et aequi iudicii viro (Prolog. X. n. 11), in verborum aequivocatione, et non intellecto quaestionis statu fundantur (1).

Nunc autem plura de vero praelati decreti sensu dicenda sunt: de hoc enim quaestiones nonnullae olim ortae sunt, et nonnulli Theologi nimis rigide et praeter Concilii mentem illud interpretantes adversariorum ludibria et recriminationes provocarunt. Itaque alii existimabant per illud decretum damnatum fuisse usum textuum originalium et aliarum versionum, quasi nunquam amplius liceret ad illos fontes recurrere ad Vulgatam ipsam declarandam, et sensum Scripturae clarius aliquando percipiendum. Alii etiam eo usque notionem authenticam et Conciliarem probationem Vulgatae urgebant, ut Vulgatam ipsam ab omni prorsus defectu, vel errore, etiam in minimis rebus, immunem proclamarent. Utrumque falsum esse ostendimus in secunda et tertia Theses parte.

(1) Laudatus Walton postquam multa in laudem Vulgatae dixisset addit: « Vulgatam vero editionem non esse, nec dici posse proprie *authenticam*, nec in omnibus infallibilem, vel auctoritatis divinae et supremam, prout a vulgo Ecclesiae Romanae statuitur, multis modis ostendi potest, idque ex ipsis eiusdem Ecclesiae doctoribus. » Deinde plura exempla affert, ubi videtur errasse Vulgata, et plura doctorum testimonia. Verum sufficit definire sensum vocis *authentica*, et Vulgatae infallibilitatem ad rerum substantiam coartare (ut in hac Thesi facimus, et nobiscum fere omnes Theologi Catholici) et omnia statim componuntur.



II. Concilium Trid. Vulgatam authenticam declarans illam textibus originariis, aut versionibus orientalibus absolute non praetulit, neque horum omnium usum ulla ratione interdiceret voluit.

Probatur 1° ex decreti verbis, ubi enim nulla de textibus, aut Orient. versionibus mentio fit, neque Vulgata cum iis comparatur, sed solum cum latinis aliis versionibus: « si, inquit, ex omnibus latinis editionibus, quae circumferuntur, quatenam pro authentica habenda sit innotescat etc. » Sciendum enim est saeculo XVI non paucas extitisse latinæ versiones, alias a Protestantibus, alias etiam ab Orthodoxis confectas, multas etiam diversas communis et Vulgatae versionis editiones, quae non parum inter se discrepabant, ad quam confusionem tollendam decretum illud PP. Trid. in ipso Concilii exordio proposuerunt.

2° Probatur ex praxi catholicorum doctorum, sive sedente adhuc Conc. Trid. sive deinceps passim adhibendi in suis scriptis et expositionibus sacris textum Hebraicum et Graecum, et Orientales versiones, ex quibus ipsam Vulgatam declarant aliquando, et perficiunt, aut in levioribus corrigunt. Imo nec defuerunt qui circa idem tempus novas aggredierentur versiones, ut Sanctes Pagnini, cuius versio literalis ex Hebraico textu notissima est, et Fournierius, qui novam Isaiae versionem ex Hebraeo expressit, eamque ipsi Concilio dedicavit. Nemo autem hanc agendi rationem Theologorum unquam reprehendit.

3° Idem ostenditur ex testimoniis illorum qui vel Concilio interfuerunt, vel illius aetate scribebant, et eius mentem certe noverant. Ita Andreas Vega Concilii Trid. Theologus lib. XV de Iustif. Cap. 9: « Nec tu, inquit, Calvine, nec quisquam alius propter hanc adprobationem Vulgatae impeditur quominus, ubi haesitaverit, ad fontes recurrat, et in medium proferat quicquid habere poterit quo inventur et locupletentur Latini. » Similia habet Rugerius Secretarius Apostolicus Lib. De Script. Can. Cap. XLIV scribens: « Cuius pie aures ferre poterunt hebraicam editionem .... a qua omnes editiones velut a parente et fonte suo fluxerunt, correctiones derivantur, et discrepantiae librorum culpa exortae saepe sublatae sunt nunc explosam et damnatam esse? » Similiter Salmeron Proleg. III° in S. S.: « Nihil, inquit, de exemplaribus graecis vel hebraicis agebatur (in Conc. Trid.); tantum inter tot editiones latinæ, quas nostra saecula parturierant, quatenam ex illis praestaret

sermo erat; liberum autem reliquit omnibus qui Scripturas Sacras profundius meditantur, fontes Hebraeos et Graecos, quatenus opus est, consulere, quo nostrum textum vitio librorum aut temporum iniuria corruptum emendare valeant. » Card. Bellarminus lib. II° De Verbo Dei Cap. 40 inter mendacia Calvini numerat praedictam textuum originalium damnationem inquiens: « Alterum Calvini mendacium hoc est, decrevisse Tridentinos PP. minime esse audiendos eos, qui ex fonte ipso purum liquorem proferunt, et ex certa veritate falsum coarguunt (1). Hoc ideo mendacium voco quod nihil eiusmodi in decreto Concilii legatur: nec enim Patres fontium ullam mentionem fecerunt. Sed solum ex tot latinis versionibus quae circumferuntur unam delegerunt, quam ceteris anteponerent, et, quod Ecclesiae gravitatem et constantiam decebat, antiquam novis, probatam longo usu recentibus et, ut sic loquar, adhuc crudis, denique unam multis inter se dissidentibus praetulerunt. » Denique Card. Pallavicinus in historia Conc. Trid. lib. VI Cap. 17 eodem modo mentem illius decreti exponit scribens: « Si nega forse che nell' interpretazione Volgata non sieno molti passi equivoci, e molti oscuri, i quali ricevano luce dalle bibbie de' primitivi idiomi? Non si vagliono tutto il giorno di questo aiuto i commentatori Cattolici? Nol fecero essi, eziandio immediate dopo il decreto del Concilio, anzi mentre il Concilio durava, il che dimostra che non fu contrario a ciò il sentimento de' Padri Tridentini? » Ita alii etiam Theologi et Scriptores illius aetatis loquuntur.

4° Probatur ex ipsa ratione quam vidimus a Rugerio aliisque allatam, nempe quod textus hebraicus et graecus sint fontes, unde versiones prodierunt, correctiones derivantur, et discrepantiae codicum identidem sublatae sunt, quod quidem ostendit non solum textum in suo originario statu spectatum non potuisse illis versionibus postponi, sed neque in eo statu in quo nunc est damari potuisse, cum multiplex ille per tot saecula usus universalis Ecclesiae eum a substantiali corruptione immunem demonstrat, et omnium reverentiam eidem conciliet.

III. Vulgata latina non ita authentica declarata est ut omnibus numeris absoluta et ab omni defectu immunis credenda sit.

(1) Calvinus enim in suo *Antidoto Conc. Trid.* ad Sess. IV scribit: « Decernunt (PP. Trid.) etiamsi ex fonte ipso purum liquorem proferant, etiamsi ex certa veritate falsum coarguant, minime esse audiendos. »



1° Id probatur ex rei natura: siquidem authenticum scriptum dicitur quod fidem facit: hoc autem ex rerum substantia pendet, non autem ex apicibus, vel numero et qualitate verborum aut aliis huiusmodi. Quapropter ad haec respexisse Patres Tridentinos credendum non est. Accedit ipsa intrinseca difficultas vertendi alicuius auctoris mentem ex una in alteram linguam, quae tanta est ut versionem ab omni defectu immunem, praesertim ubi de linguis extraneis, diversae indolis, et iamdiu demortuis agitur, sperare non liceat.

2° Idem probatur ex doctorum virorum testimoniis, qui aetate Concilii floruerunt, vel ipsi interfuerunt, aut etiam partem in Pontificia Vulgatae correctione habuerunt. Ita *Bellarminus* in cit. lib. cap. XI ait: « Vulgata editio non est unius auctoris, sed quaedam habet ex Hieronymo, quaedam ex Luciano, quaedam ex Theodotione, quaedam ex alio quodam interprete innominato; stultum autem videtur dicere, Theodotionem haereticum non potuisse errare, et etiam Hieronymum nusquam errasse, cum ipse in cap. XIX Isaiae dicat se errasse et Ecclesia correctionem eius suscepit (1). Non igitur auctores illos canonizavit Ecclesia, sed tantum hanc versionem adprobavit, nec ita tamen adprobavit ut asseruerit *nullos in ea librariorum errores reperiri*, sed certos nos reddere voluit, in iis praesertim, quae ad fidem et mores pertinent nulla esse in hac versione interpretum errata. » Quin etiam post Sixtinam et Clementinam correctionem adhuc nonnullas leviores mendas superesse idem *Bellarminus* unus ex Pontificiis correctoribus testatur in Epist. ad *Lucam Brugensem*, quam hic refert in suo libello variarum lectionum biblicorum latinorum, ubi legitur: « Qui (*Bellarminus*) et aliis literis Capuae datis die 6 Dec. 1603, postquam accepisset libellum illum correctionum Romanarum scripsit ad me quod huc apprime facit: De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim biblia vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria iustus de causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur. Varias lectiones, quae in bibliis Lovaniensibus habentur, et in quas tu librum utilissimum scripsisti, mihi videbantur omnino addendae, quippe quae instar bibliothecae mihi esse videntur. Sed non placuit aliis, ut in prima editione apponerentur. »

(1) In hoc loco Hieronymus posuerat verbum *refraenantem*, quod postea erratum dicit, et pro eo ponendum *lascivientem*.

Postea vero addit similia scripsisse *Io. Baptistam Bandinium* praefectum typographiae Vaticanae in literis iussu Illm'i Card. Baronii ad Moretum datis Romae prid. kal. Augusti an. 1604. Superius laudatus *Vega* De Iustif. lib. XV, cap. 9 similiter scribit de Vulgata: « Synodus non approbavit menda, quae linguarum periti, et in sacris literis mediocriter versati in ea deprehendunt. Approbavit dumtaxat vulgatam editionem repurgatam a mendis, quae vitio scriptorum vel chalcographorum in ea obreperunt. Nec eam tamquam e coelo delapsam adorari voluit. Interpretem illius, quisquis ille fuit, sciebat non fuisse prophetam, nec nos meruisse hactenus quemquam qui eodem in omnibus spiritu sacras literas a propria et nativa lingua in alienam linguam transfuderit... Atque eatenus voluit eam authenticam habere, ut certum omnibus esset nullo eam de foedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset, atque ideo adiecit ne quis illam quovis praetextu reicere auderet. » Deinde vero ad rem confirmandam adducit testimonium *Card. A. S. Cruce* qui Sessioni IV praefuit ut legatus Pontificius, inquit: « Et ne dubites de his (*Calvine*) verissime possum tibi allegare pro his amplissimum, et observantissimum dominum S. Crucis Cardinalem de pietate, et de literis et studiosis omnibus optime meritum, qui illi Sessioni et aliis omnibus praefuit, ac pridie quidem quam illud decretum firmaret, et postea non opinor semel mihi testatus est nihil amplius voluisse patres firmare. » Eadem testantur *Salmeron* in cit. Proleg. III, *Card. Pallavicini* loc. sup. cit. *Ioachim De Azevedo* lib. pro vulgata Sac. Bibl. latina editione (Ulyssiponae 1792), *Calmet*: Dissert. in Vulgata, *Mariana*: Pro editione vulgata cap. 21-23, *Rich. Simon*: Histoire Critique du Vieux Test. cap. XIV, et ceteri recentiores critici ac theologi. Quinimo ipsa praefatio editioni Clementinae praefixa idem fatetur his verbis: « Accipe igitur, christiane lector, eodem Clemente Summo Pont. annuente, ex Vaticana typographia Veterem ac Vulgatam Sacrae Scripturae editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate, affirmare difficile est, ita ceteris omnibus quae ad hanc usque diem proderunt emendatorem prioremque esse minime dubitandum. » Postea vero addit: « In hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consulto mutata, ita etiam alia quae mutanda videbantur, consulto immutata relicta



sunt tum quod ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieronymus non semel admonuit, tum quod facile fieri posse credendum est, ut maiores nostri, qui ex Hebraeis et Graecis Latina fecerunt copiam meliorum et emendatorum librorum haberint, quam ii, qui post illorum aetatem ad nos pervenerunt etc. »

3° Ex ipso facto ostendi facile posset defectus aliquot et leviores mendas adhuc extare tum adventitias, scilicet ex librariorum et codicum vitio ortas, tum intrinsecas et ipsius interpretis. De his multa habet Lucas Brugensis in laudato libello variar. lect. Adhuc plura exhibet Vercellone in suo opere: *Variae lectiones vulgatae Latinae Bibliorum editionis*, quod tamen, morte auctoris interveniente, non ultra tomum secundum et quatuor libros Regum progressum est (1). Quae tamen omnia non solum substantiam rerum non attingunt, sed levissima prorsus sunt, et nullius momenti. Ex his igitur patet iuxta mentem Concilii Trid. Latinam Vulgatam non fuisse declaratam absolute perfectam et ab omni defectu immunem.

*Obiicit* 1° contra 3<sup>am</sup> partem Thesis testimonium Clementis VIII in Bulla Vulgatae editioni praefixa, ubi praecipit ut exemplaris Vaticanus forma semper et ubique « *ne minima quidem particula de textu mutata, addita, vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat quod typographicae incuriae manifeste adscribendum sit, inviolabiliter observetur.* » Ergo, inquit, Clementina editio omnibus mendis caret, nec ad meliorem statum adduci potest.

*Resp.* Clementis VIII dispositionem eo tantum spectare ut privatorum hominum licentiam coerceat, non autem ut quamlibet ulteriorem Vulgatae correctionem a legitima auctoritate fieri posse

(1) Speciminis gratia notari possunt haec pauca loca: praeter Is. XL, 2 ubi pro *militia eius* legendum esse *mittit eius* suspicatur Iansenius Gandavensis, in Evangelio Matthaei XXVII, 9 legitur: *Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiam prophetam*, quod certe erratum est, nam illud vaticinium non est Ieremiae sed Zachariae c. XI. Igitur legendum est vel: *per Zachariam prophetam*, ut habet versio Syriaca Philox. et olim legebatur in codicibus Graecis citatis a Hieronymo et Origene, vel simpliciter: *per prophetam* ut est in Syriaca Simplicii, in Codicibus latinis Vercellensi, et Veronensi, et in aliis antiquioribus, ad quos appellat S. Augustinus lib. III de Cons. Evang. c. 7. Alter locus notissimus est ille Io. XXI, 22, 23 ubi legitur: *sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? eum* manifeste legendum sit: *si eum volo manere*; nam ita veteres Patres legunt, et textus graecus etiam nunc habet particulam conditionalem *ἐάν...* (si velim).

neget. Siquidem contrarium apparet ex superius citata praefatione eidem editioni affixa, et ex aliis argumentis supra expositis. Hinc opportune monet laudatus Lucas Brugensis fieri posse ut aliae correctiones auctoritate Sanctae Sedis aliquando fiant: « Respondeo, inquit, quod mea mens non sit mutare aliquid aut praeferre, sed quod eas varias lectiones quas in latinis Vulgatae editionis codicibus et tractatoribus inveni, et verosimilitudinem habere videntur in medium proferam, iudicio Suae Sanctitati, isque quibus illa iterum committere possit, relicto an sint praeferrandae, aliisque surrogandae. » Postea vero adducit verba Card. Bellarmini in literis Roma datis die 1° Novembris an. 1606 scribentis: « Si videro textum ipsum certo in melius alicubi posse mutari significabo id Summo Pontifici, et Cardinalibus deputatis. Sed tu ipse plane vides non facile huiusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas; quamvis utilissimum sit ut viri docti tum de variis lectionibus, tum de iudicio peritorum hominum tui similibus admonentur. »

*Obiic.* 2° verba laudatae praefationis circa finem, ubi legitur: « Porro in hac editione *nihil non canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum* apponere visum est. »

*Resp.* Praefata verba non ad Vulgatae defectus, et mendas pertinent, sed ad apocryphos libros, et ad alia quae antiquis editionibus inserebantur, uti erant praefatiunculae, adnotationes, variantes lectiones, quae omnia in Vaticana illa editione omisa fuerunt. Hoc plane apparet ex sequentibus verbis, ubi quid sint illa *adscititia*, et *non canonica* expresse dicitur. Apparet etiam ex illa formula *visum est*, quod insinuat etiam aliter fieri potuisse; quare in fine eiusdem praefationis permittitur ut « alio genere characteris in hac ipsa Vaticana editione eiusmodi adiumenta pro studiosorum commoditate, atque utilitate in posterum adiciantur. »

Haec de Vulgata latina eiusque auctoritate.

B. De reliquis Occidentalibus versionibus V. T.

Praeter Latinas aliae quoque extant Occidentales versiones V. T. quae tamen eadem prorsus sunt ac illae N. T. de quibus in Sect. I° disseruimus, scilicet *Gothica, Slavonica, Anglo-saxonica*. Quod pertinet I° ad *Gothicam* versionem narrat Ecclesiastici scriptores Ulphilam Gothorum episcopum circa an. 370 versionem Sacrae Scripturae non solum N. T., quod alias vidimus, sed etiam V. T., exceptis fortasse libris Regum, confecisse, et Gothi Moesiam inco-



lentibus tradidisse. Huius tamen versionis V. T. nonnisi pauca fragmenta a doctis viris hac usque detecta sunt, quae videre est in generali editione omnium quae supersunt Gothicae versionis Lipsiae impressa an. 1836 curantibus H. C. De Gobelentz et I. Loebe, et iterum ibidem an. 1837 edente Massman. Extant etiam in Patrologia Latina ed. Migne Tom. XVIII.

II<sup>o</sup> *Versio Slavonica* sanctis Cyrillo et Methodio saec. IX. Bulgarorum et Moravorum Apostolis tribnenda est, ut alias diximus loquentes de N. T. ubi etiam de variis eius editionibus aliquid adnotavimus.

III<sup>o</sup> Denique *Versio Anglosaxonica* V. T. quemadmodum etiam Novi, saec. VIII ineunte facta dicitur a Ven. Beda, sed postea ab aliis etiam libri sacri translati fuisse dicuntur. Factae videntur hae versiones non ex Textu Hebraico, sed ex antiqua Vulgata Latina. Psalterium Anglosaxonicum ex quatuor antiquis mss. editum est a Iohanne Spellman Londini 1640, et iterum a Beniamino Thorpe an. 1835 ex codd. Parisiensibus. Heptateuchus, idest quinque libri Moysi cum Iosue et Iudicibus, additis etiam libro Iob, fragmento historiae Iudith, et apocrypho Evangelio Nicodemi vulgati sunt Oxonii an. 1699 ab Ed. Thwaites.

De harum versionum valore sufficiant quae alibi diximus loquentes de versionibus N. T.

#### §. IV. De Bibliis Polyglottis.

Postquam de antiquis versionibus tum V. tum N. T. sermonem fecimus abs re non erit pauca subicere de Polyglottis bibliorum editionibus, quarum in studiis biblicis frequens occurrit mentio. *Polyglotta* biblia dicuntur ea, quae originarios S. Scripturae textus simulque plures versiones in variis columnis distinctas sub uno conspectu exhibent, ut inter se comparari facile possint. Huiusmodi editiones plures extant; quatuor tamen ex his celeberrimesunt, quas hic memorabimus.

I<sup>o</sup> *Polyglotta Complutensis*. Haec est prima polyglotta editio Sacrae Scripturae, quae Compluti (Alcala) in Hispania prodit an. 1544-1520, dirigente et pecuniam subministrante celebri Card. Ximenes, cum diplomate Leonis X dato die 22 Mart. 1520. Haec editio complectitur, quoad V. T., *Textum Hebraicum*, cum *Graeca*

*versione LXX*, paraphrasim *Chaldaicam* (Pentateuchi) *Onkelosi*, et *Vulgatam Latinam*; item libros deuterocanonicos *Graece* cum *Latina* versione duplici, altera scilicet interlineari et verbali, altera vero vulgata. Addita sunt lexica diversarum linguarum pro usu versionum. Totum opus sex voluminibus in folio constat. — Haec polyglotta editio ceteris inferior est ob exiguum numerum versionum: verum ob usum criticum in magno pretio habenda: siquidem imprimis Hebraicus Textus ex antiquissimis mss. derivatus est, et accuratissime impressus, quare haec editio inter principes editiones eiusdem textus numeratur. Praeterea versio LXX in pluribus locis emendatio apparet, et Latina Vulgata plures varietates praesefert notatu dignas (1).

II<sup>o</sup> *Polyglotta Antuerpiensis*, seu *Biblia Regia* Philippi II. Haec altera editio polyglotta consilio et munificentia Philippi II Hispaniarum regis excusa fuit Antuerpiae (Anversa) a celebri typographo Christophoro Plantino, unde etiam aliquando *Polyglotta Plantiniana* dicta est. Haec editio non solum elegantia et splendore Complutensem superat, sed etiam numero versionum, accurata textuum recognitione, et critico apparatu. Prodit anno 1569-1572 8 vol. in fol. Quatuor priora volumina complectuntur V. T. scilicet *Textum Hebraicum* ex editione Complutensi cum Veneta Bombergi collatum, *Paraphrasim Chaldaicam* non solum Onkelosi in Pentateuchum, sed etiam in reliquos libros iuxta editionem Venetam et plura mss., versionem *Graecam LXX* ex Complutensi editione cum Aldina collata, *Latinam* versionem Hieronymi, *aliam Latinam* ex Graeco, denique *Latinam ex Chaldaico* curante Lamora, et Aria Montano, quorum alter totius editionis curam gessit. Quintum volumen continet N. T. Praeter *Textum Graecum* et *Latinam* versionem adiecta est *Versio Syriaca* cum *Latina* versione Guidonis Fabricii. Volumen sextum iterum exhibet *textum Hebraicum* cum versione interlineari Sanctis Pagnini ab Aria Montano recognita, et *textum Grae-*

(1) Laudatus Ximenes magnus studiorum et literarum patronus nullis curis aut impensis pepercit ut opus absolutissimum prodiret. Narrat Alvarus Gomez in opere *Reverum Hispan. scriptores* Tom. III, pag. 44 eundem Card. inter tot praeclara a se gesta de nullo magis gratulari solitum fuisse quam de praefata editione polyglotta. Referunt etiam eius biographi septem hebraicae manuscripta ab eo coempta fuisse ingenti pretio 8,600 scutorum argenteorum.



cum N. T. cum latina versione. Duo postrema volumina continent *Apparatum Sacrum*.

III° *Polyglotta Parisiensis*. Editio haec omnium splendidissima, quamvis impensis privati hominis (Le Jay) suscepta, Parisiis prodit an. 1629-1643 10 voluminibus in fol. sub hoc titulo: *Biblia Hebraica, Samaritana, Chaldaica, Graeca, Syriaca, Latina, Arabica; quibus textus originales totius Scripturae sacrae, quorum pars in editione Complutensi, deinde in Antuerpiensi regis sumptibus extat, nunc integri ex manuscriptis toto fere orbe quaesitis exemplaribus exhibentur. Lutetiae Parisiorum excudebat Antonius Vitri*. Ex his apparet editionem hanc heptaglottam esse. Pentateuchus Samaritanus, curante Petro Morino, una cum versione Samaritana, et Latina interpretatione eiusdem Morini in hac editione primo apparuerunt. In N. T. additur versio Arabica in praecedentibus Polyglottis omissa. In quatuor postremis volum. exhibentur versio Syriaca V. T. cum Latina interpretatione Gabrielis Sionitae, et Arabica cum Latina translatione Abrahami Ecchellensis. Quamvis editio elegantissima sit, pluribus tamen mendis typographicis offuscatur, ut notat De Rossi (*Introduzione alla S. S. §. 41*). Deest quoque *Apparatus criticus*, qui licet inchoatus fuerit, ut refert B. Lamy (*Appar. Bibl. lib. II, cap. XIII*), nunquam tamen vel absolutus, vel typis mandatus est.

IV° *Polyglotta Londinensis, seu Waltoniana*. Huiusmodi editio omnes antecedentes superavit tum versionum numero, tum textuum accuratiore impressione, tum denique ordine et dispositione qua ceteris commodior et utilior est, quamvis splendorem et elegantiam Parisiensis editionis non aequet. Prodit Londini annis 1653-1657 sex volum. in folio. Praeter textus originales, et versiones omnes praecedentis editionis Parisiensis, habet etiam versiones *Aethiopicam, et Persicam*. Textus hebraicus castigatissimus est: graeca versio LXX impressa est iuxta editionem Vaticanam Sixti V, et Vulgata Latina iuxta editionem Clementis VIII: omnes autem tum textus tum versiones cum respondentibus latinis translationibus uno simul conspectu exhibentur, non autem distinctis voluminibus ut fit in Polyglottis Parisiensibus. Accedunt doctissima *Prolegomena* in principio primi voluminis, quae etiam pluries separatim edita fuerunt. Horum auctor et totius editionis praecipuus curator fuit Brianus Walton. Denique Edmundus Castellus postea edidit duobus

vol. *Lexicon heptaglottum* ad usum eiusdem editionis iuvandum, quo fit ut completum opus octo voluminibus constet.

Quamvis laudatae polyglottae editiones, imprimis Londinensis, valde utiles sint, earumque editores bonorum omnium laudem mereantur, haud tamen credendum est easdem omne tulisse punctam, nec quidquam melius expectari aut tentari posse. Siquidem

1° Plures versiones in polyglottis etiam Waltonianis omissae sunt, quarum tamen usus longe maior esset, quam aliarum, quae ibidem leguntur. Ita ex. gr. versio *Armenica* saltem N. T., versio *Gothica*, et versiones *Copticae*, sive criticae, sive theologice spectatae multo magis merebantur locum in polyglottis quam e. g. versio Persica, versio Arabica Saadiae, et plures Chaldaicae paraphrases, quae multo recentiores sunt, et ab obscuris auctoribus Iudaeis profectae. 2° Longe maior pars versionum quae in polyglottis sistuntur adhuc accuratam criticam recognitionem expectant. 3° In versionum delectu ratio habenda fuisset Ecclesiastici et liturgici earum usus, qui non theologice tantum, sed etiam criticae spectatus versionum pretium summopere auget. Hoc tamen factum non est (1).

## CAPUT IV.

### DE LIBRORUM V. T. VERACITATE.

Aggredimur nunc gravissimam quaestionem de historica V. T. veritate ac de fide eius auctoribus debita. Rationalistae vix ullam horum librorum partem intactam relinquunt, eoque maiori impetu hosce libros impugnant quo magis ex una parte ab iis pendet divinae revelationis et christianae religionis demonstratio, et quo maior est ex alia parte eorumdem librorum antiquitas, difficilior explicatio, et pauciora profanae historiae monumenta iis coaeva.

(1) Rich. Simonius in sua *Critique du V. T.* Lib. III, Ch. 24 proponit novam quandam editionem polyglottam compendiarum et oeconomicam, in qua scilicet cum textibus originariis non integrae versiones imprimantur, sed in iis tantum locis, ubi a textu et ab invicem discrepant. Aliquid simile suggerit P. Ungarelli in Mss. inedito, de quo loquitur Vercellone in speciali dissertatione de illius scriptis ineditis, quae est XVII inter *Dissertationi Accademiche*. Roma 1864 (Pag. 386 seq.).